

ISTITUTO NAZIONALE
DI STUDI ROMANIPER,
LAT
OZO

BIBLIOTECA

Lateinische Jugendzeitschrift. Latin ifjúsági folyóirat. Revue latine de la jeune

Megjelenik minden hónapban 20-án. — Prodit singulis mensibus die 20. Pretium subnotationis an. 1942-43: 3 pengoe, extra Hungariam 4 pengoe. Nummaria chartula (vulgo: chéque) postalis in Hungaria: 57.292. — Laptulajdonos: Katolikus Középiskolai Tanáregyesület. — Sumptibus Societatis Magistrorum Catholicorum Mediarum Scholarum Hungariae. — (Præses: Dr. Andreas Zibolen elnök.)

Administrator (felelős kiadó — Geschäftsstelle — administration), ad quem pecuniae dirigantur: ALEXANDER REGÉNYI, Budapest, XI., Fehérvarút 18. (tel.: 269-057).

Moderator (felelős szerkesztő — Schriftleitung — rédaction), ad quem manuscriptamittantur: JOSEPHUS WAGNER DR. Budapest, XI., Lágymányosi-utca 20. IV. 6. (tel.: 468-099)

Nuntii recentissimi.

Centenarium Gregorii Csiky. Centum ante annos, die 8 mensis Decembris a. 1942 est natus Gregorius Csiky, unus ex scriptoribus egregiis fabularum¹ Romanensium¹ et scenicarum saeculi XIX. Ordinem ad voluntatem parentum capessivit ecclesiasticum, sed animus eum ad litteras impulit. Iuvenis dramata fabulosa, mox quaestiones sociales tractantia — ex quibus «Mukányi» intitulatum in Theatro nostro Nationali anno praeterito est redintegratum —, in summa XXXV scripsit. Etiam interpretator tragœdiarum Sophoclis comoediuarumque Plauti erat paeclarus. Anno 1891 Budapestini mortuus est.

R. Frankl disc. Mátyásföldiensis.

Praebitores² mortis. Ex ducibus saeculi XIX-i Napoleon mortis praebitor maximus erat. Inter recessum ex Russia anno 1812 cadavera 65 milium militum Francogallorum in campis nivosis Russicis iacebant. Saeculo XX-o mors foederatum novum obtinuit, quod multo plures victimas ei conduxit, quam omnia proelia Napoleonis. Hic foederatus novus automobile erat. Anno 1935-o in viis publicis Civitatum Foederatarum Americanarum 37 milia virorum, mulierum liberorumque automobilibus obtriti³ mortem obiebunt. Anno sequenti 35.769 victimae causum adversorum mortiferorum numer-

ratae sunt. Ergo in Civitatibus Foed. Am. his duabus annis 7 milibus plus hominum instrumento cultus humani pacato oppressi sunt, quam bello Russico Napoleonis. Inopinatores sunt res⁴ in Britannia ad numeros⁴ revocatae.⁴ Bello Africano meridiano 5744 milites Britannici occisi sunt et tota Britannia luctu affecta est. Anno 1937 automobile 6746 victimas poposcit. De tanto numero mortuorum tandem solum nuntius brevisimus actorum diurnorum mentionem fecit.

Carolina Szalay disc. Angelani Bp.

Nuntii varii. H. Zergel mensor⁵ germanicus consilium novum inauditumque emittendi⁶ partem aquae⁶ et Mari Interno⁷ cepit. Tabula geographica hic publicata formam minutam Maris Interni ostendit. Civitates maritimae atque insulae omnes parte aquae emissâ multo maiores erunt. Mare Internum duos in lacus magnos dividetur, quo facto ex Italia per Siciliam sine navium usu, ergo itinere pedestri in Africam transitus erit. Aquas Maris Atlantici et Ponti⁸ Euxini⁸ moles impedit, quominus influentes altitudinem Maris



Mare Internum post partem aquae emissam.

¹ regény = Roman = roman ² szállító = Lieferant = expéditeur
³ elgázol = überfahren = écraser ⁴ vulgo: statistica ⁵ mérnök = Ingenieur = ingénieur ⁶ lecsapolás = Entwässerung = dessèchement
⁷ Földközi = Mittelländisch = la Méditerranée ⁸ Fekete-tenger = das Schwarze Meer = la Mer Noire

Interni iterum adaugeant, singulae moles⁹ tamen per saepa¹⁰ navigabilia iter navibus dabunt. — Colomannus Radványi auctor¹¹ illustrissimus exploratorum¹² Hungariae, duo per decennia moderator ephemericis «Vexillum Nostrum» (= Zászlónk), scriptor fabularum narrationumque permultarum iucundissimarum, patronus paterque alter tot milium puerorum Hungariae, collega amicusque carus et acceptus immaturā morte 55 annos natus nobis eruptus est. Mortuum lugemus, memoriam eius gratissimam semper retinebimus. Care Colomanne, vale, et in caelo ora pro nobis! — Die¹³ Paschalis¹³ iterum inter arma cruenta caedemque horribilem adveniet. Quae cum ita sint, moderator non ut antea simpliciter iucundissimas ferias paschales lectoribus sociisque ominari potest, sed omnes orat, ut quisquis legendo carmen hic editum, cui inscribitur «Adveniat regnum tuum!» spem suam in misericordia Dei Omnipotentis atque Iesu Christi ponat.

⁹ gát = Damm = barrage ¹⁰ zsilip = Schleuse = écluse
¹¹ alapító = Gründer = initiateur ¹² cserkész = Pfadfinder
= boy-scout ¹³ húsvét = Ostern = Pâques

Adveniat regnum tuum!

Alme doctor veritatis,
fons divine pietatis,
Christe Jesu, docuisti,
nos iussisti,
patrem tuum implorare,
qui in caelis habitat,
humilesque nobis exorare,
regnum tuum ut adveniat.

Cingit tot tantasque gentes
verae lucis indigentes,
Christe Jesu, nox erroris
ac squaloris;
patrem tuum non novere,
qui in caelis habitat.
hisce, Jesu, sol, fulgesce, vere,
regnum tuum ut adveniat!

Tot circumstrepunt osores
verue fidei, doctores,
Christe Jesu, perloquaces,
permendaces,
patrem tuum denegantes,
qui in caelis habitat.
illis da, precamur supplicantibus,
regnum tuum ut adveniat!

Qui per ignea dolorum,
eheu, regna miscent chorum,
Christe Jesu, lacrimosum,
tenebrosum,
patrem tuum exoptantes,
qui in caelis habitat,
ipse domum reduc exulantes,
regnum tuum ut adveniat!

Ipsi quoque ne labantes
fraudibusque titubantes,
Christe Jesu, pereamus
ac perdamus
patris regna, pastor vere,
qui in caelis habitat,
nobis, comprecamur, miserere,
regnum tuum ut adveniat!

E. Dieckhöfer.

In carminibus in IUVENTUTE edendi causa ad moderatorem missis ultimae syllabae similiter sonantes (rim = Reim = rime) plerumque malae sunt, nam non sonant similiter. Poetastris et versificatoribus hoc carmen perfectissimum ad imitandum proponitur. Vos igitur, carmina scripturi, exemplaria talia nocturna versate manu, versate diurna» (Horatius).

Legati Mortis

Olim, cum saxa mollia erant, portentum¹ metuendum in silva errabat. Vix procul ibat, repente homo parvus exilisque² giganti obviam venit et acclamavit: «Manē, tu, manē!»

— Quis es, qui mihi imperare audes? — monstrum interrogavit.

— Ego Mors sum, mihi omnes parent.

— Certe non obtemerabō!³ portentum respondit. Mortem adortum est, iam diu acerbeque luctabantur, tandem gigas Mortem adeo depresso, ut propter quendam lapidem extenderetur, neque moveri auderet. «Heu! Qualis orbis terrarum fiet, si etiam ego moriar! — Mors vagiebat.⁴ — Tot homines erunt, ut alter ob alterum vivere non possit. Oh! portentum improbum, quantum me verberavisti.» Sic vagiens querensque iacebat, cum illuc iuvenis laete sibilans⁵ venit, quem hominis flentis miseruit⁶. Ad eum ivit, potionem cibumque ei praebens sublevavit. Mors pro benignitate gratias egit. Postea iuvenem interrogavit: «Scis-ne, quem curaveris?»

— Nescio, nunquam te vidi.

— Mors sum, mi amice! Scito me nullius misereri posse, etiam te abripiam. Sed noli me ingratum nominare: antequam ad te veniam, adventum meum per nuntium tibi declarabo.

— Bene est! — iuvenis dixit et laete sibilans discessit. Laete vixit et dixit: «Maerendi tempus erit, si legatus Mortis advenierit.» Si morbus eum vexabat, non tremebat: — «Dum Mors adventum suum non nuntiat, — cogitabat — cur angar?⁷ animo?» Sic iam dudum vixit, iuventus pulchra annis avolavit, ora rugosa,⁸ crines nivei facti sunt. Iuvenis senuit, sed legatos Mortis frustra expectavit. Aliquando quidam in humero eius manum posuit. Senex se convertit et Mortem post tergum suum stare videt, qui dixit: «Amice! tempus lapsum⁹ est, proficiscamur!»

— Oh! Mors, mentiri dedecet. Ubi nuntiationis mansit? Nemo adventum tuum indixit, — senex clamavit.

— Noli talia dicere, amice! Nuntios multos misi. Memini morborum! Quomodo te torquebant vexabantque. Ubi est fortitudo tua pristina? Hanc paulatim abstuli. Etiam crines tuos dealbavi. Num dentes subi sunt, amice, quis tibi vitrum¹⁰ oculare¹⁰ misit? Postea frater meus in dies adventus mei te admonuit. Vides, senex, tot nuntios misi.

— Qualis frater? — homo interrogat.

— Somnus, amice! Omnibus noctibus tibi apparuit. Ita est? Dormivisti, ac si mortuus esses. Noli multa dicere, sed proficiscamur!

Tum senem corripit et in sepulcrum fert.

Irene Kiss disc. Veresianus Bp.

¹ szörnyeteg = Ungeheuer = monstre ² vékony = manager = grêle ³ parebo ⁴ flebat ⁵ fütyül = pfeifen = siffler ⁶ megsajnál = sich erbarmen = prendre pitié de ⁷ aggódik = sich ängstigen = s'inquiéter ⁸ ránkos = runzelig = ridé ⁹ praeterit ¹⁰ szemüveg = Brille = lunettes

Astutia Hungarica.

(3)

Ser. in actis diurnis «Nemzeti Ujság» Guilelmus Politoovszky.
Conv. Aem. Láng (Keszthely).

Et re vera ita accidit. Pagáni,³⁵ qui circa habitabant, sine mora advenerunt. Intra semihoram caro duorum equorum vendita erat; fundus³⁶ autem traheae rubelis abundabat. Cum caro iam iam deficeret, Stephanus interrogavit archimagirum: «Vendimusne etiam coria?»

— Quae quidem, respondit Födelmes, vendere non licet.

— Quid igitur fieri coriis velis? Nempe asportare ea non possumus.

— Quid ni?

Födelmes simul hominibus circumstantibus aliquid verbis modo Hungaricis, modo Russicis atque gestibus alacribus, suis sententiis³⁷ congruentibus, exponere conatur, interea usque verbum Russicum: «kony — dva kony» iterat et duos digitos ostendit. Denique homines intellexerunt, quid vellent et plures abierunt, ut equos adducerent. Postquam equi, magnam partem macerrimi in unum locum coacti erant, Födelmes duos «russeos» elegit emitque.

— Sunt hic meliores quoque equi, dixit Stephanus.

— Ut dicis, sed illi non sunt „russei”.

— Ita est, comprobavit Stephanus. — Equi novi traheae adjuncti viā nivibus purgata tolūtim³⁸ currebant. Stephanus nunc quoque horizontem diffidenter³⁹ observabat, videretne alicubi Partisanos. Födelmes autem contentus modo novos „russeos”, quos duobus coriis rubelisque nonnullis superaditis permutavit, modo fundum traheae oculis⁴⁰ limis⁴⁰ intuebatur,⁴⁰ ubi crassum rubelorum fascem in panarium⁴¹ insertum habebat. Cum septimanā⁴² post cum alimentis ad stationem suam reversi sunt, succenturio, russeos oculis criticis aspiciebat: «Stephane!»

— Adsum ad imperandum!

— Equi mihi alii videntur atque ante.

Stephanus silebat, uti Födelmes eum edocuit. Födelmes autem dixit: «Longinquo itinere equi emacerati et tenuati sunt.»

— Esse potest, ut dicis. Sed ac si nunc aliam formam haberent...

— Vix dixerim. Equus tantum formam equi habere potest. Nam equus — est equus.

— Non repugno.⁴³ Tantum satis pabuli eis dandum est, ut iterum pinguescant.

— Faciam, ut iubes, domine succenturio. Cum denuo in oppidum ibimus, nitebunt. Finis.

³⁵ falubeliek = Dorfleute = villa-geois ³⁶ fenék = Boden = fond

³⁷ gondolat = Gedanke = pensée

³⁸ ügetve = im Trab = au trot

³⁹ bizalmatlanul = mißtrauisch =

avec méfiance ⁴⁰ sandít = anschließen = guigner ⁴¹ kenyeres tarisznya =

Brotsack = panetièr ⁴² hét =

Woche = semaine ⁴³ Nincs ellen-

vetésem = ich habe nichts dagegen =

je ne m'y oppose pas.

De speculatoribus

(5)

Narratiunculae tempori aptae. Convertit: J. Guelmino Bp.

6. Ex ipso officio¹ speculatoribus¹ arcendis¹ efferuntur litterae! Quidam speculator iussus est in caput² cuiusdam civitatis ire litterasque³ secretas ex ipso officio speculatoribus arcendis referre. In hoc autem officium nullo modo quisquam intrare potest. Quoniam autem fortuna adiuvat, praesertim si quis ingeniosus quoque est, speculator eo se direxit nomine civis cuiusdam civitatis neutralis.

Et iam ibi moratur, sed frustra se in rem intendit, in officium intrare vere non potest. Accedit autem die quodam, ut in deversorio⁴ quodam iuxta officium speculatoribus arcendis cenans cognosceret militem quendam in illo ipso officio stipendia⁵ merentem.⁵ Multis verbis ultro citroque habitis, lagoenā⁶ iam iterum atque iterum vacuefactā, amicitia usque ad mortem iunctā speculator cooperat queri⁷ se labore non habere. «Noli queri, consolatur eum miles, qui valida brachia habet, laborare sed non queri debet. Nisi fastidiosus⁸ es, ecce, nobis famulo⁹ opus est.»

Et nonnullos post dies speculator, iam specie purgatoris per omnia cubilia officii speculatoribus arcendis libere commeat,¹⁰ et famulus novus omni modo diligens, probus, bonae voluntatis, sed paululum stupidus¹¹ esse videbatur. Quod suum erat, accuratissime perficit, et sic omnibus carus acceptusque accuratissime pervestigare¹² potuit, quae res ubi continerentur, quare sibi iam faciendum esse constituit, eodem die, cuius nocte amicus eius custos nocturnus in aedificio erat. Tunc etiam ipse remansit et ut tempus iucundius tereretur,¹³ ecce iam lagoena quoque in media mensa adest. Pocula libenter et saepe concuti-

¹ kémelhárító osztály = Spionabwehrsektion = bureau de contre-espionage ² főváros = Hauptstadt = capitale

³ okmányok = Urkunden = actes ⁴ korcsma = Wirtshaus

= restaurant ⁵ szolgál = dienen = servir ⁶ (boros)üveg =

(Wein)flasche = bouteille ⁷ panaszodni = sich beklagen

= se plaindre ⁸ finnyás = währerisch = blasé ⁹ purgator : takarító = Aufwärter = nettoyeur ¹⁰ jön-megy = hin und her gehen = aller et venir ¹¹ korlátolt = stumpfsinnig =

stupide ¹² kinyomoz = ausforschen = explorer ¹³ tölt =

zurbringen = passer



Tunesia meridiana, ubi nunc accerime pugnatur,



Solitudo arenosa Africana non impedit currus bellicos.

untur,¹⁴ custos laudat vinum, colorem, saporem, vimque eius et suum amicum, cuius ecce quam probe venit in mentem, non esse bonum hominem solum vivere. Et qui vinum laudat, potat¹⁵ quoque; et qui diligenter potat, paulatim ebrius fit,¹⁶ praesertim, si quid somniferi quoque vino immiscetur. Et quem somnus gravat, libenter dormit, sicut et amicus noster, custos officii speculatoribus arcendis, bracchiis incubans iam bene dormit in mensa, immo et stertit.¹⁷

Et speculator perfracto armario litteras secretas iam in sinu¹⁸ habet, elabitur ex aedificio, et cum postero die, quid nocte actum sit, cognoscitur, iam ultra fines est cum praeda sua. Ecce, quid efficere potest sollertia, praestigiae,¹⁹ et si quis bene utitur occasione. Notandum est igitur: Noli cuiquam peregrinorum²⁰ credere!

(Continuabitur.)

¹⁴ kocint = anstoßen = choquer ¹⁵ multum bibit
¹⁶ lerészegedni = betrunken werden = s'enivrer ¹⁷ hortyog = schnarchen = ronfler ¹⁸ zseb = Tasche = poche ¹⁹ szemfénysesztés = Gaukelei = tromperie ²⁰ idegen = fremd = étranger

De ignoscendo.

(2)

Scripsit Paulus Pados. Convertit Anna M. Bencze (Kecskeméti).

Succenturio¹⁵ digito prae se monstravit: «Post collem Russi sunt. Summopere igitur animadvertemus. Minimo tormentorum¹⁶ pyrobolorumve¹⁷ ictu audito reverti debetis. Non licet vitam hominis in discrimen vocare. Si transrepere potestis, bonum est, si autem non, statim revertamini!» Töröcsik annuit: «Certe!» Cui succenturio explicare perrexit: «Scitis denique, quid agendum sit. In latere est cohors secunda, eosque itidem Zalaenses esse haud ignoratis. In quos nolite sclopeto¹⁸ glandes¹⁸ mittere!»

Töröcsik durā quadam fortitudine promisit: «Animadvertemus. Succenturio dextram Töröcsik, alterique militi porrexit; «Fortuna vos adiuvet!»

Töröcsik lorum sclopeti contrahens: «Eamus!» — inquit. Proficiscuntur.

Cum quartam fere horae partem ivissent, Töröcsik nutavit: «Sistamus gradum, amice!» Ambo constiterunt. «Utcunque fiet, — dixit lente Töröcsik — hodie captivos ducemus. Si aliter non evenerit, porro progrediemur. Audivistine, quid succenturio dixisset? Scisne ex captivorum confessione nobis ediscendum esse, quantus sit numerus hostum?» Commilito surrisit: «Eamus, mi decurio, utcunque fuerit. Spero fore, ut aliquo modo eveniat.» Töröcsik oculis fulgentibus addidit: «Ergo procedamus!»

Lente tenebrae oboriebantur. Inter arbores atra nox appropinquabat. Quacunque ivit, velamina¹⁹ ex caligine¹⁹ texta¹⁹ pone se reliquit. Töröcsik iterum se convertit: «Rectene iter carpimus?» Sanguinem in venis congelascere sensit, cum solum se esse intellexisset. Clamare voluit, sed consilium mutavit. Magno in periculo versaretur, si clamaret, statim enim appareret exploratorem²⁰ primam lineam intrasse. Sed ubi sit ille miles, quaeritur. Relictus sit, an...? Convertit se. Remeat investigandi causa, sed nonnullus minutis post iam desinit investigare. Iam nil refert, solus sit, tantum, ut procedat! In tenebris umbra ei appropinquavit. Vox quaedam acuta repente audita est: «Sztoj!»

Töröcsik rigore immobilis congelatus expectavit. Etiam spiritum suppressit. Deinde prosiluit. Cuius in manibus muco cōruscavit. Umbra prolapta est, sed modicus radius luminis emicuit. Töröcsik umerum acute compungi sensit. Undique ignes eluxisse videt, silvamque clamore bellico tremere audit. Voces clamantium permiscentur. Töröcsik recessit lente, pedentim gradus suos ponens. Diu iter duravit, deinde pronus collapsus est. Et tunc tenebrae obortae sunt.

*

Cuius capiti succenturio superne inclinans dixit: «Fortunā adiutus es, Andrea, nihil aliud tibi refugio erat, nisi quod Zalaenses erant a latere, ex quibus unus mane exiit, ut te reportaret. Super solo enim nitroso²¹ iacere te vidit, qui te deinde rettulit. Si foris mansisses, totam per diem ad omnes ictus Rubris expositus fuisses.»

Töröcsik pressā voce susurravit: «Quis me rettulerit?»

Succenturio surridens: «Primum nec nomen confessus est, inquit. Mihi per nuntium ex centurione sciscitanti se Stephanum Kelemen esse respondit. Ab alia ex parte addidici eum quoque ex vestro pago esse.»

Töröcsik oculis clausis tantum haec ore edidit:

¹⁵ hadnagy = Leutnant = lieutenant ¹⁶ ágyú = Kanone = canon ¹⁷ bomba = Bombe = bombe ¹⁸ tüzel = schießen = faire feu sur ¹⁹ ködfátyol = Nebelstreif = traînée de brouillard ²⁰ járó = Kundschafter = éclaireur

²¹ szikes = reich an Natron = saturée de soude

«Iubeas, mi succenturio, sodes,²² ei nuntium tradi : me gratias agere et petere, ut mihi ignoscat...»

Succenturio promisit : «Nuntiari iubebimus». Deinde ad medicum versus suppressā voce dixit : «Misellus ! Certe delirat.²³

Finis

²² legyen szives = wollen Sie = veuillez ²³ félrebeszél = phantasieren = délior

LECTORIBUS MINIMIS.

locosa et salse dicta.

1. **Misericordia.** Filius : Habes-ne, pater, nummum argenteum cuidam seni pauperi? — Pater : Ubi est ille senex pauper? — Filius : Ibi in taberna¹ dulcioria¹ dulcia vendit.

2. **Aetas et herba nicotiana** (= "tabacum"). Homo : Herba nicotiana valde nocet vitae, cuius spatium brevius facit. — Vicinus : Non recte dicis. Nam avus meus iam diu fumum² tabaci² haurit,² nunc tamen iam octoginta (= 80) annos natus est. — H. : Credo, vicine, sed si avus tuus fumum tabaci non hausisset, nunc forsitan iam 120 annos natus esse posset.

3. **Vestimentum bonum.** Quidam mendicus³ a domino benigno vestimentum novum accipit. Post septem dies mendicus pannis tritis indutus redit. «Ubi est vestimentum novum, — clamat dominus benignus — quod tibi donavi?» — «Vendidi, — respondet mendicus — priusquam fame periisse. Novo enim vestimento indutus frustra mendicabam.»

Em. Pataki disc. gymn. ? Bp.

1. Joannes in puteum⁴ cecidit. Vicini concurrent, funemque auxilio demissum maxima cum contentione virum trahebant. Vix usque ad pluteum⁵ sublatus est, Ioannes in risum⁶ effunditur.⁶

«Quomodo tam hilaris ridere potes? — dicunt vicini — nondum totus ex puteo extractus es! — «Vos rideo, — respondet ille — nam si funem dimitterem, vos omnes supini⁷ caderetis! —

2. Franciscus, adulescentulus Siculus⁸ fenum⁹ domum vehit. Currus maxime oneratus forte ante cauponam¹⁰ evertitur. Franciscus perterritus nescit, quid faciat. Peropportune accidit, ut amicus forte praetereat. «Noli maerere, Francisce, cito fenum currui imponemus, sed prius eamus in cauponam!» — dicit. Cauponam intrant, ibique potitantes¹¹ colloquuntur. Ioannes Franciscum adhortatur : «Citissime fenum reponemus, ne¹² pater quidem¹² tuus aliquid animadvertis!» — Cui Franciscus respondet : «Quomodo non animadvertis, cum sub feno cubat?»

3. Siculus curru pruna¹² vehens a viatore obvio appellatur : «Pruna pulcherrima habes! Si locum scirem, ubi haec emisti, etiam ego illuc irem.» — Siculus interrogat : «Scisne, ubi Farkaslaka sit?» — Viator : «Nescio.» — Sic. : «Itaque ab illo iter duarum horarum faciendum est.»

Verona Szlávik disc. Angelani Bp.

De Augusto et psittaco.¹⁴ Imperator Augustus post magnam victoriam Romam rediit. Artifex ei corvum protulit, quem haec verba docuit : «Ave Caesar vitor!» Augustus delectatus corvum aureis octingentis emit. Deinde pica¹⁵ lata est, quae Augustum eodem modo salutavit; etiam illa

¹ cukrosbolt = Zuckerbäckerei = confiserie ² dohányozni = rauchen = fumer ³ koldus = Bettler = mendiant ⁴ kút = Brunnen = puits ⁵ káva = Brunnenkranz = margelle ⁶ ridere coepit = hanyatt = auf den Rücken = à la renverse ⁷ székely = Szekler = Sicule ⁸ széna = Heu = foin ¹⁰ kocsmá = Gasthaus = taverne ¹¹ pityizál = tüchtig trinken = buvoter ¹² még... sem = nicht einmal = pas même ¹³ szilva = Pflaumen = prunes ¹⁴ papágaj = Papagei = perroquet ¹⁵ szarka = Elster = pie



Pittacia recentiora duces maximos Hungaricos repraesentantia.

plurimo empta est. Tandem sutor pauper psittacum hanc salutationem docere voluit. At desperatus saepe triste dixit: «Heu! Perdidi tempus operamque!» — Ad finem cum successit, sutor Augustum psittaci ostendendi causā adiit. Avis dictum, quod didicerat, bene repetivit, sed Caesar dixit se satis laudatorum in regia habere. Tum psittacus memor verborum, quae saepe a suo magistro audivit: «Heu!», inquit, «Perdidi tempus operamque!» Augustus ridens psittacum prudentem pluris, quam alias aves emit.

Gabriela Zöldy disc. Angelani Bp.

1. Iosepho II-o rege, per omnium¹⁶ ora¹⁶ ferebatur¹⁶ haec definitio, facta a quadam episcopo: «Austria similis est missae pro defunctis, quae vulgo requiem dicitur, in qua non est gloria, nec credo, sed solum offertorium et in fine nulla benedictio. Sic in Austria neque requiem inveniunt vivi, nunquam paratur gloria, nemo dicit credo, sed semper exposcit offertorium et panis et sanguinis, quod autem nunquam sequitur benedictio.»

2. Franciscus Liszt diu in Polonia erat. Dux Poniatovszky liberalium artium studiosus erat, et modos¹⁷ faciebat.¹⁷ Duo opera musica Francisco Liszt ostendit rogans, ut diceret, utrum melius esset. Tum Liszt alterum aspexit, et surgens tantum haec dixit: «Alterum melius est.»

Ioannes Daka disc. gymn. Acad. Bp.

Clarus, sed ingeniose impolitus vir erat dr. Johnson scriptor et criticus Britannus. De quo multae fabulae narrantur, una ex iis est haec: Aliquando invitatus est in conventum illustrem ad theam postmeridianam.¹⁸ Omnes intenti auscultant¹⁹ salse dicta Johnsonis. Subito apud omnes offendit,²⁰ nam Johnson saccharum a receptaculo²¹ sacchari²¹ manu exceptit. Era²² infensa novum saccharum adportari iussit, at Johnson se id non animadvertisse simulabat. Potione finitā Johnson patellam²³ in fornacem²⁴ coniecit. «Doctor, — clamat era — quid fecisti?» — «Doleo, — respondit Johnson — si quid male feci, at putabam, si saccharo a me tacto non uti posses, quomodo paterā, e qua biberam, uteris?»

Thomas Kurucsev,

disc. Barossiani Szegedinensis.

¹⁶ köszájón forog = in aller Leute Mund sein = être dans toutes les bouches ¹⁷ zenét szerzett = komponieren = composer de la musique ¹⁸ délutáni = Nachmittags = du soir ¹⁹ figyel = zuhören = écouter ²⁰ megütözést kelt = Anstoß erregen = heurter ²¹ cukortartó = Zuckerdose = sucrier ²² domina ²³ csésze = Schale = tasse ²⁴ kályha = Ofen = poèle

LECTORIBUS MAIORIBUS

Systema stenographiae S.-is Taylor. (9)

Ad linguam lat. accomodavit I. C. Danzer Pesthini 1802.

§. V. Statuimus supra jam principium generale: *in scriptura stenographica supprimendam esse omnem vocalem intermedium ac solummodo illam notandam, qua vocabulum aliquod incipit vel terminatur.* Majoris claritatis causa & huius principii & regularum specialium, quas mox adferemus, exempla exposuimus tabula III, quae cum numeris citatis conferenda sunt; & quidem hujus, quod nunc memoravimus, principi, exemplum vide nro 1. Vocalis initialis una vel etiam plures indi-

cantur punto sequenti consonanti proxime praeposito. Nro 2. De vocalibus finalibus paulo post, eodem loco, quo de terminationibus, agetur.

Regulae scribendi speciales. 1. Consonantes duplices ejusdem figurae, quas scriptura vulgaris, ex orthographiae praeceptis, usurpat, hic unica solum nota exprimendae sunt. Nro 3.—2. Quoties vero aliqua consonans, omissa vocali intermedia, duplicatur, ac proinde duas diversas syllabas indicat, toties omnino etiam duplicandus est character illius stenographicus. Nro 4.—3. Consonans duplex etiam tum exprimenda est, cum, quod in vocabulis compositis saepe fit, ad indicandam syllabam necessario adest, quippe quae, nisi consonans duplicaretur, emaneret, & sic alium prorsus voci sensum inderet. Nro 5.—4. Omissis vocalibus intermediis, interdum eadem consonans ter, aut etiam quater sibi succedit; tum vero character quoque stenographicus, servata proportione, triplices vel quadruples formandus est. Nro 6.

Continuabitur.

Tab. III. Exempla.

1. *Novum, tulit, finis.*
2. *Orator, ad modum, audit.*
3. *Officium, illorum, esset.*
4. *Utitur, visus, virorum.*
5. *Immortales, innumerabiles.*
6. *Mirareris, nonnunquam.*
7. *Aer, reor, rario.*
8. *Corona, flumina, ama.*
9. *Longe, re, praebere.*
10. *Vidi, audivi, intellexi.*
11. *Raro, audio, volo.*
12. *Diu, lectu, sensu.*
13. *Musae, meae, prodest, abest.*
14. *Sensus, eamus, bonus.*
15. *Corona, volo, diu, meae, bonus.*
16. *Curru, noluit, amant, videbunt.*
17. *Amanter, videbuntur.*
18. *Multaque, longeve.*
19. *Quibus, rebus.*
20. *Zeno, Stoicus, Athenis.*

1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.	0.
T	v	T	—	—	v	C	C	C	6
10.	25	367.	6760.	10777.	67600.	100.000.			
8	v	v	n	8	n	8	8	8	8

Commercium epistulare.

Colegio de Misioneros Hijos del Inmaculado Corazón de María Alagón (Zaragoza).

Claretiani Postulantes alabonenses scholasticis hungarum latinum sermonem coletibus S. P. D. Commercium epistulare cum illis instituere, qui magno studio latinas etiam colunt litteras, nos



maxime iuvat. Propterea ad vos, linguae latinae adamantes, has litteras scribere constituimus. Amorem, quo hanc linguam proseguimini, in suis pagellis clare ostendit «IUVENTUS». Vobis enixe ideo gratulamus. Nos quintum latinitatis cursum agimus atque Horatii Artem Poeticam iam vertimus, tristia Ovidii carmina valde mirati sumus et modo in vertenda Aeneide Vergili oblectamur. Praeteritis annis Ciceronis, Livii, Sallustii, Curtii, Caesaris etc., plura selecta vertimus fragmenta. Vos autem quos auctores interpretamini? Aulis libentissime adsumus; in eis nunc egregias Sanctorum Patrum homilia peroramus, nos enim Sacrum Altare subire exoptantes, eloquentia ornatos esse admodum oportet. Nonnullis diebus aliquos dialogos exhibemus. Vos classicos Terentii Plautique dialogos seu comoedias repraesentare minime ignoramus. Litteris quoque graecis et hispanis diligenter vacamus. Quindecim diebus nuper quievimus ut, a studiis vacantes, hilares celebraremus Divini Pueri natalem. Dulcia festa! sed iam transierunt; et iterum, auctis viribus, in aulas convenimus. «PALAESTRAM LATINAM» si legeritis, aliquas forte invenietis lucubrationes nostras. Si a vobis litteras acceperimus, magna afficiemur laetitia, sicque inter nos institutum erit commercium epistolare. Valete et iterum valete in Domino.

Aloisius Canals C. M. P.

Alabonae, calendis febriariis MCMXLIII.

Ad Ladislauum Tóth

moderatorem Ephemeridis Nationalis annum XXV-um expletis.

Utile semper donum littera caelicolarum est genti humanae, si utitur arte bona. Littera duxit avos quondam ad Superos venerandos; sic virtus iam tum prima fuit pietas. Esse potest tamen improba littera, nam nocet ipsa, si est instrumentum tot variū scelerum. Fraudator, stupri amans, fur, invidus, insidiator, atque calumnia — quis enumerare potest multorum scelerum auctores atque impietatum! — gens sceleratorum litterā abutitur hac: corrumpunt homines chartis noxiis iteratis, corrumpunt animos, expoliant miserios. In patria quoque nostra haud pauci haec impietatis semina spargendo debilitasse animos notum est. Attamen inveniebantur meliores, qui corruptelis illecebrosque simul semper fortiter obviam euntes constituerunt, quid faciendum esset: acta diurna duo, Nemzeti Ujság et Nova Proles¹, Bangha pater quae cum sociis condens nomina ipse dedit. Iam quinto lustro expleto celebrare decet nunc acta diurna ambo et socioisque duces. Vos, qui nunc estis moderatores, eadem implet, quae fundatores relligio et pietas. Non homines felices possunt esse, nisi ipsi credunt esse Deum, cui mala displiceant. Qui vult esse bonusque placere Deo Omnipotenti, Christi exemplum imitans abstineat vitiis. Talia multa docendo Vesta diurna duo acta sic correxerunt iam populum Hungaricum. Iam non est animus populi nunc materialis, pauci sunt athei, quos tenet iste furor. Pergite monstrare hanc normam vitae et rationem ad multos annos, adiuvet ipse Deus! Posteritas non immemor est magnū meritorum: crescent, florebunt acta diurna duo haec.

J. Wagner.

¹ Új Nemzedék

Librorum recensio.

Frideczky József: Pázmány Péter. Budapest, 1942. Pag. 78. Adhuc duo de vita et scriptis Petri Pázmány volumina maioris circuitus composita sunt: unum Guilelmi Fraknói, alterum Alexandri Sik. Fraknói uberrimam ex tabulariis collegit materiam, quam via et ratione atque acri criticorum adhibito iudicio ordinavit et elaboravit, Sik vero Petrum Pázmány potissimum scriptorem, scribendique et stili artificem Hungarici sermonis auctorem descripsit. Iosephi Frideczky autem nuperrime editus liber de Petro Pázmány inter supra memoratos quasi medium obtinet locum, quo Pazmani scripta cum adversariis pro fide catholica defendenda pugnantia, actus et virtutes politicae, certamina politica cum adversariis, legatio Romam obita, functiones sacerdotiales, fundationes et instituta, litterarum studia et stilus Pazmanianus brevibus sed praecisis sententiis, quibus res tamquam acu tanguntur, ex omnibus partibus clare et enucleate explicantur et illustrantur ita, ut Petri Pazmani via vitae et summa, persona et indeo nobis solide et eminenter expressae in conspectum cadant.

Car. Ács Bp.

Libri dono dati.

Schematismus Congregationis de Zire S. Ordinis Clericis ad annum scholarem 1942/43. Budapest. Typis Societatis Sancti Stephani. 1942. Pag. 286. — Hic liber optima latinitate scriptus enumerat abbatias, residentias, gymnasia, paroecias, abbates, patres et fratres Ordinis, qui nuper octavum centenarium in Hungaria expletiv. Vita et opera monachorum, fontes et literatura nec non multae imagines cum utilitate, tum etiam iucunditatatem magnopere augent.

A Katolikus Tanügyi Főigazgatóság évkönyve az 1941—42. iskolai évről. (Annales Praefecturae Catholicae Studiorum Supremae.) Budapest. Stephaneum. 1943. Pag. 236. — Prima pars huius libri historiam administrativam scholarum catholicarum a. 1940/41, altera autem dissertationes perutiles de methodo docendi linguae et literaturae hungaricae, quae in cursu magistrorum aestivo a Meinhardo Kürti praeside directorum superiorum, et a professoribus Em. Molnár, Ios. Techert, Frid. Brisits, Zolt. Alszehy Alex. Sik habitate sunt, continet.

Népszérű helyesírási kalaúz. (Dux orthographiae popularis.) Irta: Kökény Lajos. Egységes Magyar Gyorsírás Könyvtára 216. sz. Budapest, 1942. Pag. 104. Pretium 3 P. — Auctor libri lectores quadam methodo iocosa et faceta praecepta orthographiae docet.

Finnországi Napló. (Diarium in Finnia scriptum.) Irta Horváth István. Levente-Hírközpont, 1943. — 10 milia huius libri iuvenibus levante nominatis distributa sunt, quo magis fratres nostros, Finnos cognoscerent.

Kováts Gyula dr.: Cicero iúj szerepe a magyarországi latin-tanításban. (Quid Cicero novissime in Hungaria ad docendam linguam latinam valeat.) Separate impressum ex fasc. 1—3. ephemeridis Magyar Paedagogia, 1942. Pag. 16.

AENIGMATA.

Solutiones aenigmatum numeri VI. (m. Febr.): 1. Anus, nunc, ungi, scit. — 2. Marcus Tullius Cicero. — 3. Occasio aegre offertur, facile amittitur. — 4. Fidem qui perdit, nil potest ultra perdere. — 5. Tonus, tinus, minus, manus, magus. — 6. Cura, dura, dira, diva. — 7. Septem artes liberales. — 8. Barba. Repetitio. Ut semen. Non scholae. Donec eris. Inter arma. Si vis pacem. Ira furor.

Ubi bene. Mundus vult : Brundisium. — 9. Quidquid agis,
prudenter agas et respice finem.

10. Odi et amo. Quare id faciam, fortasse requiris.
Nescio, sed fieri sentio et excrucior.

11. I, pi, pia, ripa, capri, prisca, Capis (recte : Capys),
sica, sic, is, i.

Aenigmata recte dissolverunt ex 34 scholis 196 discipuli. *Praemium sorte obvenit Petro Gombos et Stephano Lukács* (Eötvösianum), *Carolo Karl* (Toldyanum), *Stephano Grósz* (Scholae Piae), *Catharinæ Burger* (Veresianum), *Ioanni Bauer* et *Stephano Tordai* (Eötvösianum), *Andreae Hüvös* (Keményianum), *Friderico Lóránt* (Kölcsyeanum), *Geysae Rábek* (gymn. IPEA), *Stephano Pataki* (Széchenyanum), *Zoltano Biró* (gymn. conf. Helv.), *Guilelmo Albrecht* (gymn. Cisterc.), *Ilsae Mosonyi* (Giselanum), *Valeriae Horváth* (?) Budapestinensis; *Iosepho Vieze* (Dombóvár), *fratribus Horti* (Jászberény), *Ervino Rafael* (Kolozsvár, gymn. conf. Unit.), *Ioanni Erdei* (Makó), *Ioanni Schmidt* (Mohács), *Francisco Turner* (Pápa, Maurinum), *Nicolao Dóry* (Pécs, Cisterc.), *Michaeli Kiszely* (Pestszentlőrinc), *Clarae Komlós* (Sopron, Ursulanum), *Iosepho Tallós* (Szeged, Klauzalianum). Fortuna non favit Margaretheo, Elisabetheo, Hebraeo Budapestinibus, praeterea urbibus Neoselio, Iaurino, Cassoviae, M.-Canissae, Albae Regiae, Zalaegerszeg.

1—2. Quadrata magica.

	1	2	3	4
1				
2				
3				
4				

- 1 A A D E 1. Fissura, foramen.
2 E I I M 2. Pronomen determinativum.
3 M M M O 3. Messem facio.
4 O R R T 4. Filius Veneris.

Andreas Lajta disc. Berzsenyiani Bp.

	1	2	3	4	5
1					
2					
3					
4					
5					

- 1 D E E H I 1. Reverentia, veneratio.
2 I I I L N 2. Abl. substantivi olendi
3 N O O O O 3. Non vult (coniunct.).
4 O O R R R 4. Nasci, gigni.
5 R R S T T 5. Gen. instrumenti piscato-
rum.

Aloysius Haraszti disc. Cisterc. Agriensis.

3—4. Acrosticha.

- | | | | |
|-----------------|------------|------------|---------|
| . ortis . ndex | . cce | . ententia | . tilis |
| . ex . nde | . ine | . nter | . entio |
| . nte . ors | . ericulum | . mare | |
| . ita . oluntas | . ccedo | . olo | |

Litterae initiales recte inventae imperatorem Romanum dabunt, qui Hierosolyma cepit.


Tib. Briznyák disc. Hunfalvyani Cassoviensis.

- | | | | |
|-------------|------------|----------|------------|
| ... licanus | ... berare | ... ctor | ... gister |
| ... bertas | ... gno | ... quam | ... mulus |
| ... urpatio | | | |

Syllabae initiales recte inventae nomen poetae Romani dant.

Tib. Farkas disc. Ginsiensis (Kőszeg).

5. Rebus.



Rosa Deutsch disc. Ráskaiani Bp.

6. Ad saltum equulei.

vol-	na	ce-	pri-	guis!	Au-	ni-	sa-	que		
o :	di	num	mi-	ar-	Mu-	lin-	cer-	bus	Vir-	can-
fa-	gus	non	ve-	us	car-	di-	gi-	rum	ris-	
O	Fa-	pro-	et	ta	te	sa-	pue-	dos	to.	

Si recte inceperis, carmen notum Horatii accipies.

Carolus Karl disc. Toldyani.

7. Ex sententiis.

- captat muscas.
- sed vitae discimus.
- mortis non est medicamen in hortis.
- vires, tamen est laudanda voluntas.
- sat.
- . . . manum lavat.
- non est victoria.
- in pace.
- . . . laudamus.
- . . . silent Musae.
- . . . est optimus.
- . . . ad astra.

Expletis his sententiis litterae initiales nomen regis Romani indicant.

Guilelmus Sándly disc. Berzsenyiani Bp.

8. Logographus.

Vox ego sum brevis, ast anni noto tempus amoenum.
Una meum ditat syllaba utrumque latus?
Defunctae matris suscepto munere vobis,
cari privigni, mitia iura dabo.

Fr. Palata Trebicensis (Moravia).

Nota. Lectoribus minimis : 4—4, mediis et maioribus 5—8. — Discipuli eiusdem scholae solutiones a magistro suo collectas in communi involucro epistulae ad moderatorem J. Wagner (Budapest, XI., Lágymányosi-utca 20.). mittant. (Egy-egy iskola tanulói rejtvénymegfejtéseiket közös borítékban küldjék be a szerkesztősége.)

Terminus solutionum : Calendae Juniae.

Epistolia officialia.

Corrigenda numeri 7 (m. Martii) : pag. 53 : pro Francisci Széchenyi lege : Stephani Sz.

Moderator omnibus, a quibus die Iosephi gratulationibus honoratus est, pro benevolentia gratias agit maximas et ipse quoque iis omnia bona fausta precatur. — *Em. Pataki*. Cuius gymnasii discipulus es? — Mense Martio 35 magistri et discipuli 36 aenigmata, 33 ioca, 5 carmina 4 libros recensendos, 3 recensiones librorum et 6 alia opuscula ad me miserunt. Quorum ne tertia quidem pars edi potest, quia plus 4 chilogrammata manuscriptorum in mensa scriptoria ad edendum apta iam diu editionem expectant. Nemo igitur me impatienter urgeat. — *A. O. Lusser* et *I. Tóth*. Ad vos, cari collegae, privatas litteras dabo. — Narratio Mauriti Jókai, quae inscribitur : « De duabus salicibus Enyediensibus (= A nagyenyedi két fűzfa), latine redditia in libello eleganti, imaginibus, annotationibus et vocabulario instructa ab interprete *Ladislao* (Szeged, Horthy-kollégium) venditur. Pretium 1.60 pengoe. Numerus chartulæ nummariae postalis : 2.685 Novem exemplaribus decimum gratis additur. »